

SOCIETATIS ATHENIENSIS HISTORIA.

Cap. IV Ol. LXXXI, 1—Ol. LXXXVII, 2. (460—431 a. Chr.)

DISSERTATIO
 INAUGURALIS PHILOSOPHICA
 QUAM
 VENIA ET AUCTORITATE
 AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
 IN
 ACADEMIA
 FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
 CONSOCIATA
 AD
 SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
 RITE IMPETRANDOS
 DIE XXVII. M. JULII A. MDCCCLX
 HORA XI.
 IN AUDITORIO MAXIMO
 PUBLICE DEFENDET
 AUCTOR
AUGUSTUS GAUSE.
 BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

G. BAUER, PHIL. DR.
 L. SORHAGEN, PHIL. CAND.
 H. KETTNER, PHIL. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSERUNT ROSENTHAL ETUSQUE SOC.

Bibliothèque Maison de l'Orient



163466

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

SACRUM.

Quod a Cimone erat inchoatum opus id Pericles perficiendum suscepit. Is vir quum diutius quam aetatem reipublicae ita moderaretur, ut imperium eius nomine quidem populare videretur, re vera esset singulare, etiam iis in rebus, quae ad societatem pertinebant, auctoritate sua plurimum valuit. Atque eius sive regnum sive administrationem inchoaturi mentionem duarum illarum rerum, quibus factum est, ut populare imperium firmissimo fundamento constitueretur, hoc loco optime faciemus, quum tempus, quo effectae sint, certo explorari nequeat, neque postea narrationem interrompere cogamur. Primum igitur, quum ad illud tempus penes Areopagum custodia quaedam publica fuisset, per Ephialtem hanc ei derogavit, quam rem a. 460 incidisse quo iure Diodorus XI, 77 dicat, incertum est. Tum vero, comoediarum scriptor quidam apud Plutarchum (Pericl. 7.) ait, plebem adeo ferocem esse coepisse, ut indomiti equi instar iam nullum frenum pateretur, sed Euboeam morderet, insulis insultaret. Similiter Isocrates (Areop. 20. 31.) ait, socios Atheniensibus, dum in custodia Areopagi fuissent, confisos, tum ab his et Graecos servatos et Persas perterritos esse, tum plurimas civitates ad eos sese applicasse, quippe quibus maxime confiderent. Re autem vera, praeterquam quod libertatem amiserunt, conditio eorum neque adeo acerba fuit, neque tum

iniquior facta est eo, quod custodia illa Areopagi derogata est. Mirum sane videtur quae res ad sociorum salutem plurimum valuisse dicatur, eam omnibus tenebris sepultam iacere. Primum enim ne tempus quidem quo Ephialtes legem pertulerit, satis exploratum habemus. Nam Diodorus leviore auctoritate est quam cui uni anno 460 acceptam esse fidem habere non dubites. Ceteri omnes rem silentio praetereunt. Atqui si quisquam, Thucydides certe quum et proximus ab illo tempore esset et aversus a ratione populari et ingenia mentesque humanas optime cognovisset, eam commemorare debuit. Sed quod tacitus eam omisit, ex eo rem mentione non dignam ei visam esse nescio an recte coniecero. Deinde illa ipsa custodia qualis fuerit, quove modo Areopagitae ea perfuncti sint, non magis liquet. Certe neque comediarum scriptor neque orator eius rei auctor est satis locuples, quippe qui civium mores mentesque emendantes ab historiae fide haud raro longius declinent, ille praesentes res in peius extollens, hic praeteritis nimium decorem addens. Utcunque vero custodia illa sese habuit, illud certe constat, non propter Areopagum sed aliis de causis historia illustratis ad societatem Atheniensem Graecos sese applicasse neque eundem Areopagum, quum illi socios in ditionem redigere coepissent, hanc sortem a Naxiis aliisque civitatibus propulsasse. Itaque qua de causa illi iudicio Graeci adeo confisi esse dicantur, non satis clare perspicitur. Nisi forte Graecos eos significari statuimus qui optimatum causae faverunt. Hos vero Areopagum ideo sustentatum servatumque voluisse constat, quod cum illo ipsorum quoque causam agi intellexerunt. Neque minus recte illud coniecero, maiorem sociorum partem, eam quidem quae populari rationi faveret, quod Areopagi potentia

infracta esset, laudasse et comprobasse. Ac nescio utrum utilitatis an calamitatis plus ad societatem eo redundaverit, quod lege ab Ephialte perlata sociorum ii, qui ad popularem rationem propensi erant, eo adducti sunt, ut Atheniensium exemplum imitantes ipsi etiam rerum potiri conarentur. Quum enim civitates quaedam optimatum arbitrio parerent, periculum fuit, ne quando hi quum a populo Atheniensi iniuria lacesciti sibi viderentur, Peloponnesiorum opera usi societatem aut perturbarent aut etiam discinderent. Concedendum autem est, socios quo maiore legum similitudine inter se consentiant, eo artiore vinculo contineri. Quum vero Jones (hique sociorum plurimum viribus potuerunt) maiore ex parte populari rationi studerent, quin haec reipublicae gerendae forma omnibus sociis aptissima fuerit, iam non dubitandum videtur.

Eodem fere anno 460 aerarium commune Samiis auctoribus ab insula Delo Athenas translatum neque umquam postea impensae pecuniae ratio sociis reddita est. Diod. 12, 38. Plut. Per. 12. Just. 3, 6, 2.)

Quae res iam prius in deliberationem vocata esse videtur, si quidem Aristides, qui aliquanto ante annum 460 decessit, si Theophrasto (Plut. Arist. 25) fides habenda est, rem iniustam, sed utilem iudicavit. Ad vitandam omnem vituperationem res turpis honesta praescriptione tecta est, aerarium ne ab hostibus expilaretur, Delo ablatum esse. Falso Justinus, ne desciscantibus a fide societatis Lacedaemoniis praedae ac rapinae esset. Sed Pericles omni specie sublata populo persuasit, impensae pecuniae rationem sociis deberi nullam; illos ab omni hostium iniuria defendi neque ullum aut equum aut navem aut militem mittere, pecuniam tantum solvere, quae non eius esset qui daret,

sed eius qui acciperet, dummodo id pro quo acciperet praestaret. Quoniam igitur urbs iis rebus, quae bellis gerendis usui essent, abundaret, aequum esse, quae pecunia reliqua restaret, eam iam ad ea opera conficienda conferre, quae exstructa civibus aeternam gloriam, dum exstruerentur, opulentiam in praesens pararent, quum variis negotiis necessitatibusque exortis omnis ars excitaretur, omnis manus occuparetur, cunctifere cives alerentur, urbs ipsa ornaretur.

Hanc eius sententiam plerique assensione comprobaverunt; qui vero optimatum causam agebant, Pericli quum alias res exprobaverint, tum id ei crimini dederunt, quod populus, postquam pecunias communes Delo abstulisset, Graecorum invidiam haberet; speciosissimam illam excusationem eas quo tutiores ab hostibus essent, Athenas translatas dicentium, a Pericle esse sublatam, iam Graecos arroganti superbaque crudelitate illudi videri, quum ab Atheniensibus ea pecunia, quam ipsi ad ultimum casum asservandam contulissent, urbem suam inaurari et ornari viderent, quae insolentis mulieris instar pretiosissimis lapidibus, signis, templis induta esset. Consentaneum est sociorum non minus interfuisse, utrum Deli an Athenis munitissima in urbe pecunia asservaretur. Ibi enim reposita illorum et erat et esse putabatur, huc vero translata non solum ab hostibus sive Persis sive Lacedaemoniis tutior erat, sed etiam contra socios ipsos defendi aut ita collocari facile poterat, ut hi omnes libertate privarentur. Quamquam igitur socii sive liberi sive parentes sive optimates sive popularis imperii studiosi hac in re consentire debuerunt, tamen a nullo quidquam factum est, quo Athenienses communem pecuniam arripere et occupare prohiberentur. Conventus enim Deliaci deserti ac paene

nullius ponderis esse iam diu coeperant, praesertim tot sociis suffragio exclusis. De ceteris Euboei Lesbii Chii Samii quamquam non solum tantum viribus poterant, ut Atheniensibus postea quum pro se quisque contra eos pugnarent, non mediocres difficultates afferent, sed etiam optimatibus parentes a populari imperio abhorrebant, tamen ne iterum a barbaris perdomarentur nulla aliunde auxilii spe, praeterea discordia distracti, veriti denique ne ipsi etiam populi arbitrio parere cogerentur, Atheniensibus adeo non restiterunt, ut ceteri pecuniam Delo auferri facile paterentur, Samii etiam auctores eius rei existerent. Jam igitur ad comprobendam eam rem non eo adducti esse videntur, quod Atheniensibus temere confisi sunt aut pecuniae ne Deli parum tuta esset timuerant, sed quod ipsorum discordia illorum potentia adeo aucta et provecta est, ut iis nullo modo bene resisti posse videretur.

Athenienses vero non id solum iniuste fecerunt, quod communi aerario potiti sunt, magis etiam quod Pericle auctore praeter eam pecuniam quam ad res societatem spectantes impendebant, reliquam in ornanda urbe civibusque alendis consumpserunt. Longum est celeberrima illa opera, quae Pericles condidit, singula persequi; illud facile apparet, rerum necessariarum usum inde naturum esse tam magnum tamque varium, quo explendo artifices, mercatores, nautae, operarii, tota denique civitas vere occuparetur alereturque. Quodsi cui haec Atheniensium opulentia splendorque salute sociorum redemptus esse videatur, equidem ei assentiri noluerim. Devictis enim barbaris praedonibusque sublati, domesticis praeterea dissensionibus si non extinctis at certe repressis nihil iam esse videbatur, quo socii pacis artibus divitias quaerere, vitam cultumque ornare et excolere pro-

hiberentur, praesertim fungentibus militari munere maiore ex parte Atheniensibus. Hi quoque urbem suam ornaverunt, non quia aerario potitis erat, unde opera illa molirentur, sed quod commercium terra marique, artes, omne denique humanae vitae genus adeo effloruerat, ut vivendi rationem quam pulcherrimam formare concupiscerent. Hoc modo factum est, ut Atheniensium civitas quum toti orbi tum maxime sociis praeceptrix et magistra exsisteret. Hi uberrimum fructum ex artissima necessitudine, qua cum Atheniensibus coniuncti erant, perceperunt; quamquam enim ipsorum impendio illorum urbem omnibus operibus ornatam videbant, tamen deminutae auctoritatis eam consolationem habuerunt, quod ipsi etiam non solum commercio et mercatura in dies crescente divitias suas auxerunt, sed etiam optimis illis artibus imbuti sunt, quae ab Atheniensium civitate, omnis humanitatis matre et inventrice, tum profectae sunt.

Confirmato populari imperio Athenienses, quid foris auctoritate possent, maiore quam unquam antea studio tentaverunt. Itaque eodem anno 460 ducentis navibus, quarum partem ipsi, partem socii miserant, Cyprum insulam petivere. Inde Inarus, quo duce Aegyptii a Persis tum defecerant, eos advocavit, pollicitus si opem sibi tulissent, se eos et in partem regni vocaturum et maximam praeterea gratiam iis relaturum. Vocanti Graeci obsecuti sunt, neque id temere fecisse videntur, sed quia sic Persis maiorem cladem se illaturos esse putabant, fortasse etiam sperantes fore ut commercii illam consuetudinem, quo cum Aegyptiis antiquitus coniuncti fuissent, revocarent. Quae si fuit spes eos fefellit. Rem quidem initio bene gesserunt et quinque annos continuos ibi commorantes Aegyptiorum defectio-

nem sustentarunt adeo, ut Persarum rex ad eos inde amovendos Lacedaemonios ut irruptionem in Atticam facerent, pecunia tentaret. Sed quum id ei minus prospere cecisset, sexto denique anno, postquam in Aegyptum advenerunt, bello acrius redintegrato a Zopyro paene extincti sunt. Eadem sors 50 aliis navibus prioribus auxilio missis obvenit. Nec tamen Athenienses propterea animis ceciderunt, inmo vero tertiam classem dimisissent, nisi a Pericle prohibiti essent. Quid quod fuisse dicuntur, qui tanta imperii proferendi cupiditate obcaecati essent, ut de Etruria, de Carthagine expugnanda somniarent? (Thuc. I, 104, 109. Plut. Per. 20. Diod. XI, 71. 77.)

Ceterum dum haec in Aegypto geruntur, Athenienses domi quoque cum finitimis civitatibus controversiis gravioribus impliciti sunt, iisque quum alias ob res mentione dignissimis tum quod iis factum est, ut societatis fines insulas tantum et Thraciae Asiaeque urbes etiam tum amplectentes in ipsam Graeciam proferrentur. Ac materia belli fuit, quod Megarenses cum Corinthiis de finibus contententes a Peloponnesiis ad Athenienses defecerunt. Neque hi iis opem ferre dubitant, sed exstruentes murum duplicem Megara cum Nisaea coniungunt, sociis maris aditum tutum reddunt, utramque urbem Pegasque praesidiis firmant, bellum contra communem hostem acriter persequuntur. Conciliato hoc modo vetere et finitimo hoste Athenienses non solum ipsis propugnaculum contra Peloponnesios sed etiam praesidium sociis paraverunt. Quum enim Megarenses inter Peloponnesum et Atticam utrumque mare accolentes navibus aliquantum possent, periculum fuerat, ne dum in fide Peloponnesiorum essent, Lacedaemonios per fines suos in Atticam transire

paterentur aut societati Atheniensi grave damnum afferrent. Illud quoque alicuius momenti esse videtur quod Athenienses Pegis occupatis Corinthiaci maris aditum sibi patefecerunt. Ceterum Megarenses libertatem retinuisse neque ullum tributum pependisse consentaneum est. (Thuc. I, 103. Diod. XI. 79.)

Lacedaemonii, quum exstinguenda Messeniorum rebellione occupati tenerentur, Megarensium civitatem a se deficere passi sunt, Corinthii igitur infestissimis animis primo soli bellum persequuntur mox Aeginetis persuaserunt, ut secum arma consociarent. Id bellum sustentare Athenienses eo paratiores fuerunt, quod Aeginetarum civitas et antiquitus iis invisa erat, et aliquando Piraei incolumitatem in periculum adductura videbatur, adeo ut Pericles cives illam Piraei quasi lemam tollere iuberet. Tum vero Peloponnesii quieti nullum iam locum esse arbitrantur, navalis pugna fit, cui utrinque socii intersunt, Athenienses victoria reportata e navibus egressi Aeginetarum urbem obsident. Ad quam liberandam Peloponnesii in Atticam incursionem faciunt sperantes praesertim tanta hostium classe in Aegypto commorante fore ut illi aut de Megaride aut Aegina decederent. Neutra tamen res efficitur, illam Myronides tumultuario milite defendit, hanc alter exercitus obsessam tenet. Tamen Aeginetae nulla aliunde ope lata plus tres annos continuos acriter resistunt; Boeotis ad Oenophyta devictis tum denique urbem tradunt. Murum demoliri, naves tradere, tributum pendere iubentur, privantur libertate. Quodsi quis reputaverit quanto illorum odio Athenienses flagraverint, quantique eorum illa insula potiri interfuerit, is haud scio an conditiones exspectaverit acerbiores; quod tam mites impositae sunt, id argumento est,

populum Atheniensem fracta Areopagi potentia non exsultasse licentia, sed cupiditatibus temperasse. (Thuc. I, 105. 106. 108. Plut. Per. 8. Diod. XI, 78.)

His tam multis tamque gravibus bellis Atheniensium opes confectas et exhaustas putares; immo vero etiam magis excitatae videntur. Dum enim Aeginetaram urbem obsessam, Megaridem occupatam tenent, maximum opus molientes Piraeum firmissimo muro circumdant, „longisque muris“ cum Athenis coniungunt. Qua re id effecerunt, ut urbem suam quum terra tutiorem redderent, tum mari sociisque propius quasi admovent. (Thuc. I, 107. Plut. Cim. 13.) Praeterea vero cum ipsis Lacedaemoniis conflixerunt. Hi enim Messeniis perdomitis quum propinquis suis contra Phocenses opem tulissent, cauturi ne Atheniensium opes etiam magis augerentur, Thebanis totius Boeotiae principatum ea lege concesserunt, si illos bello persequerentur; sperabant simul optimatibus quibusdam freti fore ut imperium populo Atheniensi e manibus detorquerent.

Hi quum plurimum eorum interesset, ne Thebani tota Boeotia potirentur, Lacedaemoniis reditum terrae marique intercludunt et cum Thessalis proelium contra hostes apud Tanagram committunt. Sed proditi a Thessalis ipsi vincuntur, Lacedaemonii domum revertuntur. Acceptam cladem Myronides sexagesimo secundo die post splendidissime reparavit. Namque ad Oenophyta re optime gesta Thebanorum principatum prorsus delevit, mox Phocenses et Locrenses in ditionem redegit. Quos omnes ad societatem Atheniensem sese applicare coëgit ita quidem, ut tributum penderent nullum, nec tamen liberi sui iuris essent, sed Athenienses bello adjuvarent. Opuntiis ob ancipitem fidem

centum obsides imperavit. Postremo etiam in Thessalos invasit, sive defectionem eorum ulturus, sive accitus ab Oreste tyranno expulso. Sed quamquam Boeotos Phocensesque secum duxit, tamen neque Pharsalum cepit, neque quidquam maius gessit, sed re infecta domum rediit. (Thuc. I, 107, 108. Diod. XI, 80—83.)

Nec minus bene Tolmides postero anno rem gessit. Is quum classe Peloponnesum circumveheretur, non solum hostem omni modo vexavit, sed etiam fines societatis Atheniensis ita protulit, ut Chalcidem, oppidum Corinthiorum expugnaret, cum civitatibus quibusdam Achaeorum foedus iniret, Zacynthus insulam societati conciliaret, Naupactum denique Locrensibus eriperet, ibique Messenios habitare iuberet, quos Lacedamonii Ithome, quam arcem expugnare ipsi nequiverant, incolumes discedere passi erant. Hi igitur patria extorres acti, ut Lacedaemoniorum odio flagrauerunt, ita Atheniensibus summam fidem praestiterunt. (Thuc. I, 108. Diod. XI, 84.)

Simili expeditioni praefectus Pericles Oeniadas quidem cum Achaeis frustra oppugnavit, eas tamen urbes, qui ibi in vicinia erant, in societatem accepit. Eodem fere tempore Athenienses sive Pericle sive iam prius Tolmide duce Troezenae potiti sunt. (Thuc. I, 111, 115. Diod. XI, 85. Plut. Per. 19. Just. III, 6, 5.)

Sic igitur Athenienses omnibus fere in rebus fortuna usi sunt tam prospera, ut non multum abesse videretur, quin totius Graeciae imperium occuparent. At Boeotia, Phocis, Locris, Megaris, Troezen, Achaiae urbes, ut cito captae, ita brevi amissae sunt; contra cetera loca, quot a Tolmide et Pericle occupata sunt, totidem novae societatis fundamenta erant, maxime ido-

nea, unde omnes aliae civitates circumvenirentur, Lacedaemonii et Peloponnesii vexarentur.

Tertio anno postquam Pericles Peloponnesum circumvectus est, Atheniensibus cum Lacedaemoniis induciae in quinque annos convenerunt. Quid hoc tempore utrinque gestum sit, miramur neque a Thucydide neque ab ullo alio auctore traditum esse. Unde utrosque aut nihil aut parum magni fecisse recte collegeris. Ac de Lacedaemoniis quidem id omnes facile concedent. Horum enim non solum vires Messeniorum rebellionem et expeditionibus a Tolmide et Pericle factis exhaustae erant, sed rei maritimae ignari carentesque navibus neque societatem Atheniensem aggredi neque his ipsis ullum damnum mari inferre poterant. Itemque Corinthiorum opes confectae erant. Contra Athenienses ex Aegypgia calamitate expediti, Aegina expugnata nulla iam re quin Peloponnesios debellarent, impediri videbantur. Animus certe fortis promptusque eos non defecit, qui nisi a Pericle prohibiti essent, Aegyptium bellum paene renovarunt. Neque etiam dubitandum est, quin is vir „bellum a Peloponneso incedere“ non tum primum, sed multo antea intellexerit. Tamen Athenienses etiam ipsi sponte sibi temperaverunt, idque recte, quod suas quoque vires tot navibus in Aegypto aliisque locis amissis attritas viderunt, rati praeterea non solum expugnando operam esse dandam, sed etiam cavendum, ne quae expugnassent nimia temeritate in discrimen adducerent. Nec tamen segnitiae se dederunt, immo vero Pericles ubi domum rediit, mille cleruchos in Chersonesum deduxit, eamque quum aliis munimentis ab hoste tutam reddidit, tum duo maria, quibus illa regio alluitur, exstructo muro inter se coniunxit. Cleruchi (κληροῦχοι)

autem pauperioribus e civibus electi nomen habuere, quod singulas viritim sortes divisi agri acceperunt; civitatem Atheniensem retinebant ceteras res suo arbitrio administrantes. Ex quo coloniarum genere Athenienses quo maiorem utilitatem perceperunt, quod habebant unde et prohiberent, ne incolarum suorum numerus nimis augeretur et pauperiores cives sustentarent alerentque et imperium suum confirmarent ac munirent, eo maiorem sociorum indignationem in se converterunt querentium, quod illi se ex agris suis depellerent, ipsi eos occuparent. Quod eos suo jure questos esse quamquam negari non potest, tamen illud quoque concedendum est, in hoc coloniarum genere non defuisse, quae non magis Atheniensibus quam ipsis sociis utiles essent. In quo numero non ii soli referendi sunt, quos modo commemoravimus, sed etiam alii mille in Bisaltas missi, quae erat gens Thraciae. Contra vix dubitaveris, quin aliae cleruchiae ideo conditae sint, ut imperio Atheniensium essent praesidio. Quas quum tempus quo deductae sint ignoremus, hoc loco optime commemorabimus. Mille igitur in Euboeam, quingenti (mille cf. Diod. XI, 88) a Tolmide Naxum, ducenti quinquaginta (quingenti cf. Diod. l. l.) Andrum missi sunt. (Diod. XI, 88. Plut. Per. 19, 11.)

Anno igitur 451 finis belli factus est ea conditione, ut Athenienses quidquid sive pacti sibi conciliassent sive vi ac armis expugnassent, id retinerent. Adjunxerant autem societati Magarenses Boeotos (exceptis Thebanis), Phocenses, Locrenses, Aeginetas, Troezenios, Zabynthios, Cephallenes, Naupactios, quasdam denique Achaeorum et Aearnanum civitates. Sic Graecorum rebus compositis Cimon civium animos ad difficillimam quamque rem paratissimos in Persas convertit. Pro-

fectus igitur classe ducentarum navium quinquaginta naves in Aegyptum dimisit, reliquis ipse Cyprum insulam petiit. Sed Cittio oppido frustra oppugnato et Cimone mortuo exercitus gloriam quidem reportatae victoriae, aliam vero praedam nullam retulit. Pax deinde Atheniensibus cum Persis iis conditionibus convenisse dicitur, ut Graeci, qui Asiam incolerent, libertatem retinerent neve Persis in mare Aegeum liceret navigare. Notum est quantae de ea pace controversiae recentioribus temporibus motae sint, nostrae aetatis viri docti plerique in eo consentiunt, ut arma deposita esse dicant, pacem justam et legitimam rite conciliatam negent. Quae eorum sententia iis congruit, quae Herodotus (VI,42) tradit: Persas ab iis Graecis, qui Asiam incolerent, tributa ab Artapherne imposita postea quoque exegisse illosque eo ipsius tempore regionatim pependisse. Quaedam igitur Graecorum civitates eae sane quae ceteras Persarum provincias proxime attingebant, inter hos et societatem Atheniensem distractae pro tempore alterutris vectigalia pendebant. Huc accedit, quod Persas neque sibi temperasse quin Graecorum rebus suam auctoritatem interponerent et solis ab Atheniensibus impeditos esse ne illos perdomarent, infra videbimus. Utcunque vero res sese habet sive pax rite facta est sive Persae viribus confecti bello abstinuerunt, quod Graeci Asiam incolentes libertatem non solum adepti sunt, sed etiam adeptam diutius sustentarunt, id Atheniensibus singulari ac prope divinae gloriae esse censendum est. Suis enim viribus illi libertatis incolumitatem numquam tueri potuerunt, ceteri pro salute eorum aut non aut parum diu propugnaverunt, soli Athenienses quum eorum causa tot bella tanta ardoris assiduitate sustinerent,

quantum ipsorum interesset, ut omnes Graeci libertate incolumi fruerentur, probaverunt.

Eodem studio et ardore incensi et Graecis Pontum incolentibus auxilium miserunt et commune totius Graeciae conventum indixerunt. (Plut. Per. 28,17.) Cum illis enim si non societate at certe commercio coniuncti erant, frumenta maxime inde ad se importantes. Itaque quum Graeci desperantes de suis viribus ad eos adissent, ut se suaque contra tyrannos barbarosque finitimos defenderent, hi iis magna classe omnibus rebus optime ornata Periclem auxilio miserunt. Is diversis itineribus per Pontum navigans, quae roga-verant, ea praestitit. Namque et barbaris quum tantam tamque magnificam classem conspicerent, tantus terror iniectus est, ut illos bello lacescere desisterent et Graecorum cum ceteris tyrannis controversiae compositae, Sinopensibus praeterea tredecim naves relictae sunt, quibus Timosileum tyrannum ipsum ex urbe eiecerunt, agros ut in sexcentos cives Athenienses dividerent, consenserunt. Hanc quoque cleruchiam aliquo cum commodo Graecorum deductam esse apparet, de societate ineunda si quid iis cum Atheniensibus convenit, prorsus ignoramus.

Contra minus prospere Atheniensibus cessit, quod Pericle auctore sibi proposuerant, ut universae Graeciae conventum convocarent. Miserunt enim de suis civibus viginti, plus quinquaginta quemque annos natum in omnes Graeciae civitates, ita quidem ut quinque eorum Aeoles, Iones, Dorienses insulas praeter illam oram sitas circumirent, quinque Hellespontum Thraciaeque oram, quinque Peloponnesios, Boeotos, Phocenses Locrenses, qui ad regionem occidentalem inco-lerent, Ambraciotas, Acarnanes gentesque his vicinas.

quinque Euboeos, Oetaeos, Malienses, Phthiotas, reliquos Thassalos. Omnibus his civitatibus persuadere iussi erant, ut ad Athenienses legatos mitterent, qui cum his deliberarent, quomodo et templa a Persis diruta restituerentur, et vota tum nuncupata persolverentur et maritimae res a praedonibus tutae redderentur et communis Graecorum pax optime muniretur. Manifestum est, si hae Atheniensium conditiones undique assensione comprobatae essent, quantum inde fructum omnes percepturi fuerint. Sed quum alii tum maxime Lacedaemonii Atheniensium virtutibus adeo obtrectaverunt, ut legatos ne eligerent quidem, nedum de rebus propositis deliberare paterentur. Hae duae res ab uno Plutarcho (Per. 28,17.) traduntur, tempus quod spectent non commemorante. Nos narrationi hoc loco eas inseruimus, quod vix dubium esse putamus, quin eo tempore inciderint, quod interest inter pacem Cimonis quae dicitur et inducias in triginta annos factas. Opes enim Atheniensium quanquam Lacedaemoniis aliisque fere semper suspectae et invisae erant, tum maxime tamen non ad tam sublime fastigium pervenerant, ut illi remota omni insolentiae specie ultro auctores existere posse viderentur rei, quae non ad Graecos Asiam incolentes, non ad ceteros socios solos, sed ad universae patriae salutem pertineret.

Interea dum haec geruntur, Boeoti, Phocenses, Locrenses freti societate qua cum Atheniensibus coniuncti erant populare imperium, quod suis viribus neque condere ausi erant neque sustentare poterant, tanta crudelitate in optimates exercuisse videntur, ut appareret mox fore ut non solum ipsi de potestate delicerentur, sed etiam res Atheniensium in summum discrimen vocarentur. Primum enim Phocenses cum Delphiis qui

optimatium causae studebant, antiquitus dissidentes utrum esset custodia templi Apollinis, cum id vi et armis cepissent, a Lacedaemoniis coacti sunt, ut de templi possessione decederent, eamque Delphiis restituerent. Athenienses quum Corinthiaco in mari pauciores naves haberent, Lacedaemonios quidem quominus eam incursionem facerent, non prohibuerunt, sed post reditum eorum statim ope lata sociis templum reddiderunt, ipsi sibi *προσηυχόμενοι* vindicaverunt. (Thuc. I, 112. Plut. Per. 21.) Nec tamen eo privilegio diutius usi sunt, propterea quod Boeoti, Phocenses, Locrenses adeo sibi non temperaverunt, ut optimates non solum bonis privarent, sed etiam privatos extorres agerent. Fortum nonnulli ex Euboea, Aegina, aliis civitatibus exsulabant. Hi omnes anno 447 ut populum everterent ipsi imperio potirentur, coniunctis armis tentavere. Jamque Orchomenum, Chaeroneam alias Boeotorum urbes occupaverant, quum Athenienses oppressis sociis Tolmidem auxilio miserunt. Is Chaeroneam expugnat, incolas in servitutem abducit, urbem praesidio confirmat. Inde profectus ad Coroneam rem male gerit, ipse cum parte militum caeduntur, pars capiuntur. Quo nuntio allato Athenienses civium recuperandorum desiderio capti, praeterea desperantes sese illas civitates in ditione iam retinere posse pace facta superstitem militem incolumem domum reducunt, Boeotos, Phocenses, Locrenses optimatium suorum quosque arbitrio permittunt. Mirum sane videtur, quod Athenienses paucis annis ante gravius difficilisque bellum tanta constantia sustentaverunt, ut pacem pararent honestissimam, iidem tum brevissimum bellum ita composuerunt, ut a paucioribus hostibus legem acciperent turpissimam. Cave tamen ne propterea ignaviae socordiaeve eos in-

simules; immo vero pacem illam ideo fecisse videntur quo expeditiores viribus alteri eique maiori periculo imminenti obviam ire possent. (Thuc. I,113. Diod. XII,6. Paus. I,27.6.)

Consideranti enim optimates non minus quam populares homines civium suorum inimicos ubique eorum causae favisse, qui cum ipsis sentirent, (sicut apud Coronëam non Boeotos et Locrenses solos pugnassee, sed optimates quosdam aliunde exsulantes cum illis arma coniunxisse vidimus) si igitur nescio an probetur, quod Athenienses illud bellum citius composuisse coniectamus, quum certis quibusdam indiciis freti suspicionem haberent, nobiles quum alios tum eos qui undeunde exsulerent cum Lacedaemoniis conspirasse, ut Atheniensibus defectiones sociorum moverent, ubique populare imperium everterent, optimatum dominatum revocarent. Cuius coniecturae res ipsae fidem facere videntur. Primi igitur Euboei defecere, quos optimatum arbitrio tum paruisse constat; quam causam eius rei simulaverint, memoriae non proditum est. (Thuc. I,114. Plut. Per. 22,23. Diodorus XII,7. praeter Euboeos multas alias civitates defecisse tradit.) Jam Pericles copias eo traduxerat, quum idem ei nuntius de Megarensibus affertur: maiorem partem Atheniensium, qui praesidio ibi essent, occisos esse, paucos Nisaeam confugisse, Megarenses cum Corinthiis et Epidauriis foedus fecisse; Lacedaemonios incursionem in Atticam parare. Consentaneum est, Megarenses anno 460, quum a Peloponnesiis deficerent, leges civitatis ita mutasse, ut penes populum summa rerum esset, neque minus apparet tum optimates id effecisse, ut sublata libertate foedus cum Peloponnesiis revocaretur. Quod vero hae omnes Boeotorum, Euboeorum, Megarensium defectiones et

optimatum artibus excitatae et eodem fere tempore exortae sunt, inde illud recte colligi videtur, non casu fortuito factum esse ut socii seditionem moverent, sed conspirationem ab optimatibus composito consilio institutam et effectam esse. Gravissimum igitur periculum rebus Atheniensibus imminebat eoque maius quod timendum erat ne qui in urbe ipsa essent optimates ea occasione utentes novas res molirentur. Ac Pericles quum statim ex Euboea profectus contra Lacedaemonios duceret, unde trepidarum rerum momentum pendere putaret, aperte declaravit. Sed sive civium animos clade apud Coroneam accepta nimis percussos sive quo citius cum Peloponnesiis in gratiam redisset, eo facilius socios in ditionem se redacturum esse putavit, sive denique veritus ne male re gesta etiam ceteri defectionem pararent, belli fortunam adeo non periclitatus est, ut rege Lacedaemoniorum pecunia corrupto pacem in triginta annos iis conditionibus pascisceretur, ut Athenienses Troezene, quod oppidum anno 456 vel 454 occupasse videntur Nisaea, Pegis ex Achaia decederent, Megarensibusque liceret ad Peloponnesiorum societatem sese applicare. De ceteris conditionibus, quae commemorentur, hae fere dignae videntur: convenisse inter Athenienses et Lacedaemonios, ut quidquid utrisque esset, id retinerent, ut ceteris Graecis, quotquot ad neutros accessissent, cum utris vellent, societatem coniungere liceret, ut controversiae, si quae ortae essent, iure ac legibus, non armis diiudicarentur. (Thuc. I,35. 115,140. Diod. XII,7. Plut. Per. 24. Just. III,6,1)

Ex his tam iniquis conditionibus ad Athenienses eae tamen utilitates redundarunt, quod Lacedaemonii eorum sive imperium sive societatem neque detrecta-

verunt neque augeri vetuerunt, quod Athenienses spem conceperunt triginta illis annis per quos induciae futurae essent, se imperium adeo corroboraturos esse, ut a nullo iam posset labefactari, quod denique Periclicuit iam expedito contra socios converti. Exercitu igitur iterum trajecto ceteri Euboei cum eo certis quibusdam conditionibus de deditione paciscuntur, Hestiaei quod captae navis viros trucidaverant, ex insula depelluntur, agri eorum in mille cleruchos dividuntur. Eadem sors equitibus Chalcidensibus obvenit, cuius oppidi incolae, quo certiore fidem Atheniensibus praestarent, populari imperio uti iubentur. Neque dubium videtur, quin Euboeis ceterae quoque conditiones quae Naxiis, Thasiis, aliis impositae sint.

Tota de societate Chalcidensis civitas prima est, cuius formam ab Atheniensibus mutatam esse distincte scimus. Isocrates amore et amicitia sociorum eos adductos esse dicit, ut quam reipublicae formam ipsi amplexi tenerent, eam sociis instituerent. Idem (Paneg. 30.) a maioribus populares homines adiutos, optimates impugnatos, sociis libertatem constitutam ait, quod iniustum esset cives plures paucioribus obtemperare, pauperiores sed eos non deteriores honoribus excludi, in communem patriam illos dominari, hos natura quidem cives, legibus tamen civitate privatos esse. Et Xenophon (de republ. Athen. III, 10, 11.) Athenienses ait, quod popularium hominum causam sustentarent, id consulto et cogitatum facere; quos, si optimatum causae studerent, non eas partes amplexuros esse, quae cum ipsis consentirent. Quum enim optimates nulla in civitate, ubique humiliores homines populari imperio dediti essent, propterea Athenienses his favere, qui cum ipsis quasi propinquitate, quadam

coniuncti essent; quoties vero optimatium causam adiuvare ausi essent, populum, cum alienae dominationi servire coactus esset, id suo incommodo fecisse. Nobis quoque Athenienses quod sociorum civitates ita mutaverunt, ut penes populum summa rerum esset, non adeo vituperandi videntur; immo vero admirandi quod tanta moderatione usi sunt, ut optimatium imperium intergrum esse paterentur neque prius delerent quam ab iis bello lacessiti quantum periculi ex ea necessitudine, quae optimatibus cum Lacedaemoniis esset, quum in populum Atheniensem tum in universam societatem emanaret, experientia didicissent. Lacedaemonios enim a Thasiis excitatos esse supra vidimus quin cum Boeotis, Megarensibus, Chalcidensibus aliis conspiraverint, vix dubium videtur, mox Samiorum optimatium cum barbaro societatem commemorabimus. Jam igitur manifestum est, neque ullo modo fieri potuisse, ut populares civitates cum optimatibus ejusdem societatis communi vinculo coniuncti tenerentur, et Athenienses natura et necessitate quadam coactos esse, ut ubique populare imperium constituerent, optimates tollerent. Ceterum ipsa societatis origo ita tulit, ut socii populari ratione aptissime uterentur. Optimates enim illam neque condiderunt neque condere voluissent, quippe qui cum barbaro in cives dominari quam cum populo communi libertate frui mallent. Immo vero quum societas ex maximis illis laboribus profecta esset, quos universus populus Graecorum ad defendendam libertatem sustinuit, sicuti tum Athenienses quod periculis pariter perfuncti erant, omnes pari et aequo iure uti coeperunt, idem etiam socios decuit. Similis denique Lacedaemoniorum ratio fuit, quos tamen Athenienses eo facile

superaverunt, quod in mutandis civitatibus maiorem erga socios clementiam praestiterunt.

His tot tamque gravibus bellis Athenienses quum non solum opes suas vehementer afflictas, sed etiam nominis gloriam admodum obscuratam viderent, in praesens tempus quo citius damna accepta repararent neve novis rebus inhiantes de veteribus periclitarentur ultro bella suscipere desierunt ac per pacem suas sociorumque res administrabant. Forte anno 444 Sybari quae urbs a Crotoniatis bis iam diruta erat, missi erant qui Athenienses et Lacedaemonios ut sibi opem ferrent adirent. Hi quidem denegavere, illi occasionem de Graecis merendi sibi oblatam rati, per Peloponnesum edixere, si quis Lampone et Xenocrito ducibus in Italiam transvehi vellet. Conditione undique cupide accepta haud procul ab eo loco, ubi Sybaris fuerat urbs condita eique Thurii nomen datum. Thurinos sui iuris liberosque fuisse et cum Atheniensibus societatem habuisse consentaneum est. Nec tamen Athenienses priusquam Syracusanis bellum intulerunt, ex ea societate nisi quod eorum cum Italis commercium frequentius fieri coepit, ullam aliam utilitatem videntur percepisse. (Diod. XII,9,10.)

Proximis deinde tribus annis, quid Athenienses de sociis fecerint, auctor nullus invenitur. Anno 444 Byzantii et Samii defecerunt. (Thuc. I,115—117. Diod. XII,27,28. Plut. Per. 24—28.) Illi quibus rebus eo adducti sint, memoriae non proditum est. Hi victis Milesiis, quibuscum controversias habebant, utrorum Priene esset, quum ab Atheniensibus, ad quos illi statim adierant, iussi essent arma deponere ipsorumque arbitrio obtemperare, id postulatum intolerabile rati praeterea virium suarum amplitudine freti nihilo secius

bellum persequuntur. Samii vero in Milesios eo maiore ira ardebant, quod illi optimatibus parebant, qui ut viribus praepotentes, ita populo invisi erant; hi non modo ipsi libertatem amplectebantur, sed etiam a Samiis quibusdam adiuvabantur, id maxime agentibus ut illorum potentiam everterent, ipsi imperio potirentur. Athenienses Samiorum ferociam infracturi Periclem quadraginta triremibus contra eos proficisci iubent. Is nullo acriter resistente expugnata insula optimatum imperium tollit, populo libertatem restituit, illis octoginta talenta, obsides centum imperat, quos Lemnum custodiendos dimittit, magistratus praeterea militesque Athenienses populo praesidio relinquit. Sed vix domum abierat, quam optimates ii, qui ex insula effugerant, cum iis, qui in urbe remanserant clandestinis colloquiis factis obsides suos Lemno e custodia furtim subducunt, populoque oppresso cum defectione simul bellum contra Milesios instaurant. Quin etiam ad eam pravitatem processere, ut prodito praesidio militeque Atheniensi cum Pissuthne Persarum satrape conspirarent, ut is ad defectionem eorum adiuvandam classem Phoeniciam propius ad urbem admooveret. Iterum igitur Pericles contra eos profectus sedecim naves partem Cariam versus Phoenices speculatum, partem Lesbum Chiumque dimisit, unde auxilium peteretur, ipse quadraginta quatuor navibus, quas reliquas habebat, Samiorum septuaginta navium classem adeo devicit, ut ipse imperium maritimum obtineret de adversariis quinque naves ad Persas confugerent. Adiunctis deinde quadraginta Atheniensium, viginti quinque Chiorum Lesbiorumque navibus, quum militem in insulam eduxisset urbemque operibus cinxisset, septuaginta navibus Cariam versus Phoenicibus obviam profectus est. Interea dum Pericles eo bello occupatus

tenetur Samii eruptione facta rem tam bene gessere ut per quatuordecim dies continuos maris imperium obtinentes urbem iis rebus omnibus ornarent, quae obsidioni sustentandae usui essent. Sed Pericles reversus (Persae enim pugnum detrectasse, classem in fines suos recepisse videntur) Samios mox repressit idque eo facilius, quod octoginta naves (quingenta ab Atheniensibus, triginta a Chiis et Lesbiis missas) secum coniunxerat. Tamen ei illi tanta pertinacia resisterunt, ut decimo denique mense postquam defecerunt, Atheniensibus urbem traderent. Libertate amissa, populari ratione uti ducenta talenta certis temporibus solvere, obsides dare, classem murumque demoliri iubentur. Itemque milites magistratusque Athenienses in insula relictos esse videntur, qui id maxime agerent, ut Samii quidquid iis imperatum esset, diligenter efficerent. Cum Persis neque bellum fuisse videtur neque pax facta. Byzantii denique eodem fere tempore cum Atheniensibus pacti sunt, ut sicuti antea consueverant, arbitrio eorum parerent.

Samii belli historiam prae ceteris idoneam esse putamus, qua sententia eorum refutetur, qui Atheniensibus exprobant, quod socios omni iniuria exercere consueverint. Tantum enim abfuit, ut inter Samios et Milesios suam auctoritatem ultro interponerent, ut rogati tum denique his auxilium ferrent. Prohibere vero, ne controversiis inter singulos ortis omnis societas discoindatur, quum eorum esse appareat, penes quos sit summa rerum, si aliquando tum certe Athenienses eo arbitrio perfungi suo iure postulaverunt. Sed Samios ideo defecisse respondebit aliquis quod timerent, ne quum ipsi optimates essent, causa sua qualiscunque tamen a populo Atheniensi prorsus damnaretur. Sed

non solum exempla desiderantur, quibus ea opinio possit confirmari, sed etiam optimates ipsi cum ceteri alias tum illo tempore Samii, quam recte Athenienses societatem ita constituerent, ut socii omnes eandem civitatis regendae formam amplecterentur, aperte declaraverunt. Samii enim si suam causam iustiores evincere potuissent, non dubium est, quin abunde auxilium apud Chios et Lesbios inventuri fuerint, quippe qui ipsi etiam optimatum imperio uterentur. Quum enim Lesbii ab Atheniensibus se summa observantia coli consuesse apud Peloponnesios palam concedant, cur Samii apud illos minore honore floruisse videantur? Itaque Lesbiorum civitas, quum honorata quidem, invita tamen ab Atheniensibus staret, quam plane declarasse putanda est ab utris uniuria commissa esset? Lesbios enim Atheniensium societatem non ideo retinuisse, quod minoribus viribus essent, quam quibus rem bene gerere posse viderentur, vel eo efficitur, quod iisdem postea difficultates attulerunt gravissimas. Quanto maius vero in periculum res Atheniensium deductae essent, si Lesbii et Chii, qui plurimum inter socios viribus valerent, aut etiam hi cuncti ad Samiorum foedus accessissent? Sed hi ita se gesserunt, ut digni viderentur, qui libertatem amitterent. Immemores enim quid sociis quid Graecis deberent communi patriae periculum excitaverunt. Primum enim Peloponnesios adierunt. Ac Lacaedemonii quidem iis auxilium ferre paratissimi fuerunt, sed Corinthii quamquam Atheniensium rebus invidentes, pacis tamen memores, ne intestino bello tota Graecia conflagraret, prohibuerunt, id quod apud eos in laude sua postea posuerunt. Samii vero ad eam pravitatem processerunt, ut contra quos societas facta esset, apud eos causae suae auxilium

invenire vellent. Jam igitur apparet illos omnibus viribus enisos esse, ut societatem descinderent, Athenienses contra cum imperium eorum delerent, non ipsis solis aut sociis, sed totius Graeciae rebus prospexisse. Restat ut quanta Athenienses in Samios usi sint clementia evincamus. Narratur apud Plutarchum l. l. Athenienses Samiorum captivorum corporibus notam Samacnam (*Σάμακιν*) inussisse, quod erat insigne eius urbis, itemque Samios illis noctuam, hos turpis exempli auctores fuisse. Quae atrocissima facinora commissa esse, non est cur negemus, praesertim quam infestis animis utrinque pugnatum sit considerantes. Atqui rarius facta esse eo libentius putamus, quod conditiones Samiis impositae sunt ab omni crudelitate remotae. Priores enim tam mites fuerunt, ut Samii muros, naves, libertatem retinerent, nihil nisi civitatis formam mutarent, mutatam ab Atheniensibus defendi paterentur. Octoginta enim illa talenta non tam poenae repetendae causa imperata sunt quam ut esset unde impensae ab Atheniensibus in bellum factae redderentur. Postea quidem muros, naves, libertatem amiserunt, talenta ducenta persolverunt. Nimirum cum magnitudine belli sumptus aucti sunt; sed ceterae conditiones ab iis nihil discrepant, quae aliis sociis impositae sunt. Tantum igitur abest, ut iusto acerbiores censendae sint, ut Samii amissam libertatem satis aequo animo passi esse videantur, idque eo magis, quo minus soli ab optimatibus eam defendere poterant. Immo vero tanta assiduitate ex illo tempore Atheniensibus dediti erant, ut Plataeenses fide aequarent.

Post id bellum ex omnibus sociis duo tantum libertatem retinuerunt, Lesbii et Chii, utrique viribus admodum potentes. Qui cum optimatibus parerent,

Atheniensium societatem amplectebantur, non quod amorē et amicitia eos prosequerentur, sed quia se solos libertati defendendae non sufficere intellexerunt. Quid quum igitur ab illorum parte contra Samios starent, se hanc causam vehementer reprehendere aperte declaraverunt; Lesbii etiam se ab illo populo magna observantia coli consuesse apud Thuc. 3, 9. dicunt. Tamen hi quoque (incertum est, quo anno) ad Peloponnesios deficere meditati sunt. Sed Lacedaemonii, ut Samios repudiaverunt, ita illos non acceperunt. (Thuc. III,2.) Hunc motum sociorum proximum a bello Peloponnesiaco fuisse audimus. Quum igitur pax esset Athenienses anno 436 Hagnonem cum classe in Thraciam dimiserunt. Is urbem Amphipolim collocavit in „Novem Viis“, ubi undetriginta annis ante frustra consederant. (Thuc. IV,102. Diod. XII,32.) Item postero anno(435) Letanus in litore Propontidis condita est. (Diod. 12,34.)

VITÆ.

Natus sum Augustus Gause Berolini Cal. Martiis anni MDCCCXXXI, patre vestitore, matre e gente Barowski, quibus salvis maxime gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Primis doctrinae elementis in privato ludo imbutus decimo aetatis anno in gymnasium Coloniense, quod Augusto directore etiam nunc floret, transii. Ibi per octo annos et dimidium commoratus academiae Berolinensis civibus adscriptus sum. Ubi per septem semestria philologiae maxime studens scholis interfui imprimis virorum doctissimorum: *Trendelenburg*, *Beneke*, *Michelet*, *Böckh*, *Lachmann*, *Franz*, *Geppert*, *Herz*, *Ranke*. Quibus viris illustrissimis summas a me gratias haberi palam confiteor.

THESES.

1. Opinio, quae vulgo fertur, exstitisse Spartiatarum duos ordines *δμοίων* et *ὑπομειόνων* nominibus notatos, nulla veterum auctoritate probatur.
2. Ordaliorum origo non a medio aevo, sed ab antiquitate repetenda est.
3. Deus apud Platonem non idem est atque idea boni.
4. Hor. Epist. II. 2,199 bene legitur:
Pauperies immunda modo ut procul absit:
ego, utrum
5. Soph. Aj. 75. legendum videtur:
οὐ σίγ' ἀνέξει, μηδὲ δειλίαν ἀρεῖ;

